ODE

AD

ORNATISSIMVM VIRVM

D. ANDREAM KAZMIERZ,

Illustrissimi ac Reuerendiss. Dni,

DOMINI LAVRENTII GĘBICKI,

ARCHIEPISCOPI GNESNEN.

LEGATI NATI AC REGNI PRIMATIS,

PRIMIQVE PRINCIPIS,

MOECENATIS CLEMENTISSIMI;

Pharmacopæum celebrem,

Suum verò amicissimum:

A

M. LAVREN. SMIESZKOWIC,

Tyliciano Eloquentiæ Professore;

Cùm

VENERABILEM D. LICENTIATVM

NICOLAVM KAZMIER

EIVSDEM FILIVM,

SVVM VERÒ DISCIPVLVM

Artium Magiſtrum & Philoſ

phiæ Doctorē renunciaret:

Symbolum cōſtantis amicitiæ, mnem

ſynonque communis lætitiæ;

cum debita Gratulatione

conſcripta;

atque ab amico amicè

DICATA.

ODE DIC.

Libet alloqui te CAZMIR optime, cùm tuum
Te Patre dignum filium,
Curam meam, secundâ adorno laureâ;
Libet alloqui, licet procul
Te dis situm, atq; gratiâ Diuûm datas
Benignitates plurimas
Precari amico candido, integerrimo,
Multóq; deuinctissimo.
VIRTUS tua sed inprimis hoc meruit satis,
Animusq; non plebeius;
Artisq; conscientia Aesculapiæ,
Quâ tu sine titulis nites,
Contentus his dignus videri, non frui.
Te bene valentem & sospitem,
Et (si cupere fas est) perennare cupiunt
Morbis rebellibus obruti;

Suamq́ Hygean & Panacean te vocant.
His tu fidelem prosperè
Operam nauas, prodes Je natushominibus,
Tibiq́ viuere nescius:
Memorq́ Sacramenti ab Hippocrate Patre
Medicæ artis olim conditi,
Ut vitam ita artem, pariter ambas, sine malo
Fuco, piè ac sanc tè colis.
Reuocabit hoc Patria tua LOVICIVM, cui
Non exigua es acces sio
Famæ bonæ, quæ narrat isthic nascier
Viros notæ æmulandæ, & his
Te publica inserit, haud nigro plebeculæ,
Doc torum at albo calculo.
Quid quòd Sacerdotum cateruæ, quòd pÿ
Dulcis simæ Dei hos tiæ
Monachi, quòd omnes quos eges tas inuida
Numero hominum vix computat,

Te mis

Te misericordis mentis Aesculapium
Suumq; asylum prædicant;
Mercede qui procul satagis, & alleuas
Feliciter morbo è graui.
Mac te indole hac, hac mente CAZMIR o-
Tam & Christiano pectore. (ptime
Impleuit omnes optimi viri modos
Qui didicit esse tam pius;
Nec deseret eum cura supremi Dei,
Eius vicariam qui opem
Hic subministrat pauperi, afflicto & inopi.
Desertus omnibus, Dei
Alumnus est, hunc quisquis ope iuuat alacri,
Dei ipsius vices obit.
Ergo te etiam in amoribus iustis habet
LAVRENTIVS GEBICIVS
Magnus Senator, magnus Archiepiscopus,
Ponendus aliis in typum;

Prudentiæ eloquentiæq́ corculum,
Ecclesiæ & patriæ iubar,
Publicæ salutis vna basis & copia
Cornu tenuium vnica hominum.
Quo indigna fuerant improba hæc tempora, propè
Fæces bonorum temporum.
Mihi crede, magnum est Principe ab eo haud des[...]
Quid amore dignum est se illius?
Sed ecce & ista Dei placida benignitas
Nouellæ oliuæ filij.
NICOLAE mi, cura mea, te iam hinc alloqu[...]
Tu in parte faustitatis haud
Mediocris id numera, Parens quòd cælitus
Hicce tibi sortitò obtigit.
Affudit inde tibi Deus magnus agiles
Celeresq́ motus ingenî.
Hinc illa prompta, vasta, firma memoria
Quicquid prehendit reddere

Mox do-

Mox docilis, integrâ & bonâ & iustâ fide;
Fallere suum Dominum inscia.
Hinc mentis illa sana acumina, & acria,
Videre perreconditum
Quodque expedita, & vincla soluere Gordia
Indagine absque plurima.
Accessit educatio his nimis anxia,
Sollicitaque Patris optimi,
Vnum in diem menti recursans millies;
Metuensque naturæ bonæ,
Ne lympido vasi affricarentur mala
Contagiosi pectoris.
O ter beatos filios & amplius
Quorum iste custos additus
Facili iuuentæ, in quæque vitia, & labili
Ab pænitendis lapsibus.
Tu præter ista patrimonium inclyti
Habes paterni nominis,

Industri-

Industriæque gloriæque, insomnibus
Partæ laboribus. Itaque
Exaggerare hæc memineris, & à me tria
Seruanda pronus accipe.
Mores bonos primùm, deinde artes bonas
Sectare studio acerrimo.
Didicisse cùm plurima voles, semper stude,
Et vtilia magis elige.
Scopum artium sapientiæque hunc cogita,
Prodesse vt hominibus queas.
Hæc age, meo & cognomini, fratri tuo
LAVRENTIO bellus præi,
Ut ambo spem nostram impleatis gnauiter,
Parentis & vestri optimi.

DEO GLORIA & GRATIA.

In Officina Matth. Andr. Anno 1622.

